

dior, & illa oportet crescere : crescunt autem in nobis, non sicut truncus violento impulsu provehitur, vel sicut lilia non laborantia, non curantia crescunt, sed conando, luctando, quærendo, petendo, pulsando : hoc non ex nobis, Dei donum est.

VI.

Conversio, quæ solo ductu naturalis notitiæ sine subsequa fide fit, nequaquam est salutaris illa & salvifica, quam Propheta in Textu innuit.

Probatur : a Deo converti petit Ephraim E. sola illa est salutaris 2. in conversione extincta infidelitate accenditur & confertur homini fides, cum non solum ex conversione immediate fluat, sed etiam contradistinguat subjectum conversum a quovis alio.

Iis hæc thesis est adversa, qui Zwinglii istud notum *Φορτινὴν ἀνθρώπων* : Herculem, Theseum, Numam, Aristidem, Socratem & similes heroes cælo esse adscribendos, (quem Turretinus Instit. Theol. Elenct. P. I. p. 17. utcunque excusare satagit,) interpolantes conversionem & salutem æternam ductu notitiæ naturalis obtineri posse asserunt, Moyfes Amyraldus, Pastor & Professor in Academia Salmuriensi, Dallæo gratiæ universalis quodammodo vindici *ὁμολογητός* & Stephanus Curcellæus Quatern. Dissertat. quibus haud immerito adjungimus Adolph. Venator. Tractat. Verantwort tegen die Prediger van Dordrecht, & Eduard. Bar. Herbert de Cherbury & Kerri in Hybernia Tractat. ante hos XL. annos primum, nunc iterum sub auspiciis seculi hujus recens impressum, de Religione gentilium errorumque apud eos causis.

Confirmamus assertum manifestis sacrarum literarum dictis Act. IV. 12. non est in alio quoquam salus nec aliud nomen, quam Christi est sub cælo quod datum sit inter homines

per